





18.

JOANNIS KOPPE,

J. U. D.

1778, 1

DISSERTATIO

DE

LEGATISSUB MODO  
RELICTIS.

12.

P. 281



VIENNAE,

APUD IOAN. THOM. NOBILIS DE TRATTNERN,

SAC. CAES. AVL. REG. TYPOGR. ET BIBLIOP.

1 7 7 8.



UNIVERSITÄT  
SACHSEN-ANHALT  
LEIPZIG

181  
6

UNIVERSITÄT  
SACHSEN-ANHALT  
LEIPZIG





S. i.

Uti Indorum gens ob simplicitatem in suis negotiis celebrandis usitatam laudatur a Strabone, a) ita populus Romanus ob nimias solennitates Senecæ incurrit censuram, b) ab illis enim solennitatibus non raro maximorum bonorum acquisitio, aut jactura dependebat. Prætermisissis hic omnibus actibus inter vivos, si solum ultimæ dispositiones considerentur, non difficile perspicietur, eas, licet XII tabulæ liberrimas esse debere statuam, legum tamen interpretatione, aut auctoritate jura constitutionum ita coangustatas fuisse, c) ut aut determinati testium numeri defectus, aut aliæ quandoque extrin-

A

secæ



secæ circumstantiæ civis romani plenario rationis usu præditi intentionem omnino inanem reddiderint.

- a) Rerum Geograph. L. XV.
- b) Lib. III. de beneficiis C. XV.
- c) L. 120. de verb. sign.

§. 2.

Tanta illa libertatis naturalis restrictio posterioribus temporibus æquitatis studiosissimos Imperatores permovit, ut maximam testandi libertatis promovendæ curam habuerint; statuit hinc Justinianus: *disponat unusquisque super suis, ut dignum est, & sit lex ejus voluntas.* a)

- a) Novella XXII. C. 2.

§. 3.

Limites unius dissertationis transcederem, si omnium ultimarum dispositionum requisita, naturam favoremque recenserem. Testamentis igitur, quatenus in strictiori significato hæredis complectuntur institutionem prætermisissis, solum legata, & quidem



dem illa, quæ sub modo relicta, præsentis elaborationis objectum erunt.

## §. 4

In legatis, testante Ulpiano, præcipue spectanda, servendaque est testatoris voluntas, a) hinc non tantum omni solennium formularum observantia remota quibuscunque ad disponentis mentem accomodatis verbis b) tam in testamento, quam ab intestato relinqui possunt, verum & quidquid testator benevolentia, aut negotii, cui morte forte præventus ipse superesse nequit, perficiendi causa injunxerit legatariis, id omne ab illis, dummodo legibus non repugnet, omnino præstari debet; c) hinc legata, licet in plurimis a contractibus differant, cum iis tamen in eo quandam similitudinem habent, quod uti in conventionibus sæpe ideo damus, ut quidquam vicissim ab accipiente sequatur, ita in his a moriente factis dispositionibus non raro adjicitur causa, quæ ita legato coheret, ut eadem non impleta nec rem



legatam capiat a defuncto honoratus.

- a) L. 11. §. 19. de leg. 3.
- b) L. 15. C. de testam. L. 21. C. de leg. L. 2. C. commun. leg.
- c) Nov. I. pr. §. 1.

§. 5.

Causa illa, quæ legatis quandoque adjicitur, vel præsentem, vel præteritum, aut futurum quandam actum respicit; si præsens, aut factum præteritum testatorem ad legandum permovet, illud *causa impulsiva* nuncupatur; si futurum disponenti motivo fuit, tunc legem quandam honorato imponit, & communiter *modus* vocatur. a)

- a) L. 17. §. fin. ff. de cond. & dem.

§. 6.

Modi pro diversitate earum, quæ pertractantur rerum, diversa quoque in jure deprehenditur acceptatio; sic quod legitimæ usuræ finis in uno loco dicitur, a) id alibi usurarum mo-





modus appellatur. *b)* Lex Falcidia legandi libertatem certis limitibus circumscribens eos legatis impositum modum appellat. *c)* Agrimensores doli reos falsum modum renunciaſſe dicuntur. *d)* In emtione modus dictus si non fervetur, ex emto actionem dari, Ulpianus testatur. *e)* In ædificiis exſtruendis altitudinis modum excedere Antoninus & Severus vetant. *f)* Exercitii ſervitutis limitatio eidem adjectus modus dicitur. *g)* Cum igitur tot diverſæ modorum in jure deprehendantur acceptiones, non ſupervacaneum erit inquirere, quid legata ſub modo relicta denotent?

- a)* L. 1. §. 3. de pign. & hypot.
- b)* L. 1. pr. L. 9. L. 29. L. 44. ff. de uſuris. L. 2. §. ſia. ff. de eo, quod certo loc.
- c)* Pr. Inſt. ad L. Falc. & L. 1. pr. ff. eod. L. 23. ff. de dol. mal.
- d)* Tit. ſi menſ. falſ. mod.
- e)* L. 2. ff. de act. emt. vend.
- f)* L. 1. C. de ædif. priv.
- g)* L. 4. §. 1. 2. de ſervit.

## §. 7.

Antonius Faber, & Carpzovius  
A 3 in



in ultimis voluntatibus, & præcipue in legatis id, quod iis adscribitur, an modus, an conditio dicatur, idem esse putat, a) hocque præcipue, cum ipse Antoninus modum pro conditione observari testetur; b) ast si accuratius Imperatoris mens, ipsaque legis verba examinentur, apparebit, eundem nullatenus modum idem ac conditionem esse judicasse, sed edixisse, parem modum legato adjectum implendi subversari necessitatem, quæ adest implendi conditionem, hinc ait Saturninam legatum sub modo illo relictum: *ut Titio nubat*, hoc nisi præstiterit, pari ratione non acquirere, ac si conditio; *si Titio nupsferit*, adjecta fuisset, & eandem solum legatum retinere, si Titii culpa matrimonium non fuerit initum, proin in hoc solum modus conditioni similis erit, quod is, uti hæc pro impleto habeatur, si factio illius, in cujus favore adjectus existere nequeat, aut quidquam legibus interdictum, contra publicam utilitatem versans, turpitudinem continens, vel de quo, qua ratione ad exitum perducipotest, non constat, injungatur legata-  
rio,



rio. c) Quoad reliqua vero inter modum, & conditionem non exiguam esse differentiam testatur Scævola, & hinc eum, cui legatum: *si monumentum fecerit*, huic, cui legatum: *ut monumentum faciat*, parem esse negat. d)

- a) Ant. Fab in Cod. Lib. 6. tit. 22. def. 2. Carpzov. P. III, C. 13. def. 20. n. 10. & def. 26. n. 4.  
b) L. 1. C. de his, quæ sub mod.  
c) Vid. Eckold ad ff. tit. de cond. & dem. §. 6. Gothofred. ad cit. L. 1. C. de his, quæ sub mod. not. q. L. 24. ff. de cond. & demon. L. 5. §. 5. ff. quand. dies leg. L. 161. ff. de R. J. L. 41. §. 1. L. 54. & L. 112. §. 3. de leg. 1. L. 7. in fin. ff. de ann. leg.  
d) L. 80. ff. de cond. & dem.

### §. 8.

Magis adhuc asserti hujus elucescet veritas, si ex ipsa natura, clarisque legibus inter conditionem, & modum intercedens differentia demonstrata fuerit. Conditionis natura perspecta apparet, eandem talem esse circumstantiam, quæ actum in futurum & incertum eventum suspendit, proin hæredis aut alterius legato gra-

A 4 vati,



vati, donec implementum subsequutum, solum imperfectam reddit obligationem, & illud legatarii eventuale jus tandiu impedit, ac suspendit, donec evenerit id, quod ex mente testatoris adhucdum expectandum; igitur sub conditione oneratus, donec illa impleta, dominium retinet, fructus omnes, ut proprietatis suæ consecraria percipit, ac jure domini sui facit; legatario vero ante conditionem impletam nec cedit, nec venit dies, hinc rem sibi relictam vindicare, de ea actionem movere frustra tentaret, nec spem ipsam, quam legatum acquirendi habebat, ullo prætextu ad hæredes suos transmittit, a) nam omnia legata naturæ suæ non nisi honoratæ personæ favorem respiciunt; hinc etiam Lege Papia eorum diem primo ex apertis tabulis Imperator cedere iussit.

Nec obstat Augusti constitutionem posterioribus temporibus mutatam fuisse; nam ipsa Justiniani verba sufficienter declarant, legis Papiæ abrogationem solum legatorum purorum favorem respicere, intuitu vero conditionatorum nec legem illam, nec jura



jura antiqua mutata fuisse. *b)* Longe tamen diversum obtinet, si legato adjectus sit modus, illius enim implementum testator ut dispositionis suæ causam finalem respexisse, ipsamque rem relictam tanquam medium sibi propositum finem obtinendi intendisse videtur; finis igitur is, cum plerumque assequi nequeat, nisi legatarius de rei substantia, ac consecrariis liberum disponendi jus consequeretur, non potuit non voluisse legans, ut rei relictæ dominium statim ad honoratum transeat, proin illo, quo testatur moritur momento, dies cedit legatario, & is acquisiti domini effectum statim petere, cautione interposita hæredes ad rem sibi tradendam jure cogere, eamque modo licet nondum impleto ad successores transmittere omnino potest. *c)* Differt præterea, an conditio, an modus appositus deleatur, si primum, legatum pure relictum, si secundum, illud ademptum esse censetur, *d)* hocque, quia conditio, cum non sit causa finalis legati, nec ejus ademptio benevolentia mutata indicium esse potest, secus vero *modo* sublato

A 5

ob-



obtinet; is enim, cum in dubio præcipua legantis causa videatur, si delectus, aut alteri adscriptus fuerit, indubitatam voluntatis testatoris mutatae testimonium præbet, nam si finem, quem intendebat, non amplius velit, media tamen eundem obtinendi adhuc dum velle præfumi nequit.

- a) L. un. §. 7. C. de cad. toll. L. 213. ff. de V. S. L. 5. §. 2. ff. quand. dies leg. L. 66. ff. de rei vind. L. 32. §. 1. ff. de leg. 2. L. 12. §. 2. fam. erc. L. 31. 59. & 109. ff. de cond. & dem.
- b) L. 5. §. 2. ff. quand. dies leg. L. 41. ff. de cond. & dem. L. un. §. 7. de cad. toll.
- c) L. 32. & 80. ff. de leg. 2. L. 40. §. fin. ff. de cond. & dem. L. 92. §. 1. ff. de leg. 1. L. 1. C. de leg. vid. etiam Voët, comm. ad ff. T. de cond. & dem.
- d) L. 3. §. 9. & L. 30. §. 2. de adim. vel tran. leg. L. 53. ff. de cond. & dem.

§. 9.

Ex his jam apparet, quantum inter conditionem, & modum sit discrimen, non igitur illa Jurisconsultorum an-



anxia disquisitio, an adjectio legatis facta modus, an conditio sit? temeraria est. Pauci tamen interpretum dubio tali exorto finem sibi propositum obtinebunt, plerique enim illorum aut verba legantis, aut scripturæ ordinem pro regula ponunt, illi particulas si, cum, quandoque *conditionem*, ut, ad, pro, ne, *modum* exprimere determinant, a) hi verbis inspectis quadam ambiguitate remanente, si illud quod legatario injunctum, ipsum præcedat legatum, conditionem esse dicunt, si vero id sequatur, modum indicare judicant. Sed cum in ultimis dispositionibus defuncti voluntas primum obtineat locum, & ea, quæ in iis ambigue scripta, benigne interpretanda, & secundum id, quod credibile est, decidenda esse leges jubeant, c) indubitatum est, non tam verba prolata, sed maxime disponentis intentionem inspiciendam esse. Si igitur rectæ interpretationis regulis magis conforme appareat, quod defunctus statim conferre voluerit legatario dominium, & eidem solum in casum suæ voluntatis spectæ relictæ rei restitutionem injunxerit, tunc licet ita concepta sint verba,



verba, ut potius conditionem indicare videantur, tamen ipsa legato facta adjectio pro modo habenda erit.

- a) Maier Col. jur. argent. de cond. & dem. th. 7. & 43.
- b) Zoes ad ff. tit. de cond. & dem.
- c) L. 24. ff. de reb. dub. L. 19. ff. de cond. & dem.

§. 10.

Solet tamen quandoque, evenire, ut ipse verborum conceptus, factaque a moriente mentis declaratio tantis involuta dubiis remaneat, ut omnibus adhibitis mediis illius voluntas sufficienter cognosci nequeat; hisce in circumstantiis omnino difficilis foret decisio, nisi legislatorum providentia sufficienti remedio prospexisset. Statuit autem hæc defunctorum voluntates pro eo, quod perfectius est capiendas esse, a) huic igitur a legibus ipsis decidendi normæ conformiter tali exorto dubio iudex adjectionem illam pro modo accipiendam esse decidere obligabitur; modus enim cum rei relictæ domini-um statim tribuat, & cautione a le-  
ga-





gatario interposita voluntatis testatoris implementum indubitatum reddatur, facile cognoscetur, eundem longe perfectiorem quam conditionem esse.

c) L. 12. ff. de reg. Iur.

§. II.

Horum legatorum qualitate, eorumque ab his, quæ sub conditione relicta differentia declarata, quid per modum intelligatur, vix amplius quæri poterit; a) patet enim eundem quoddam legatis adjectum onus esse, & hinc non inepta illorum erit definitio, qui eum *adjectionem quandam*, b) *quæ indicat, quid legatarius jam accepto legato ex defuncti voluntate facere, vel non facere debeat*, c) esse statuunt.

a) Licet legatis quandoque demonstrationes, & causæ adjiciantur §. 30. & 31. Inst. de leg. & tit. ff. de cond. & dem. hæ tamen quomodo a modo differant, anxie inquirere temerarium foret; illæ enim personæ, aut rei designandæ gratia adhibentur, hæ testatoris animum ad legandum commovere jam supra §. 5. dictum est.

b) Di-



b) Dicitur *adjectio*; extrinsecus enim legato accedit, hocque quia legatum ex sua natura titulus mere lucrativus est, & nisi expressis verbis honoratus gravetur, nullum plane admixtum onus habet. L. 32. ff. mandat. L. 36. ff. de leg. 2.

c) Verbum *facere* in latiori significato accipiendum est; testatur enim Ictus in L. 218. de verb. sign. quod illud omnem omnino faciendi causam complectatur, dandi, solvendi, judicandi, ambulandi &c.

§. 12.

Quemadmodum defuncti voluntas diversa esse potest, ita quoque adjectiones illæ, quæ modum constituent, variæ sunt; hinc multiplices dantur modorum divisiones, quæ tamen ad duo capita commode referri possunt: aut enim considerantur imo respectu habito ad personam illam, in cujus utilitatem ac commodum implementum redundat, & hæc ratione partim in testatoris, tertii, aut ipsius legatarii favorem modus adjectus reperitur; vel imo consideratur in se, & sua natura, & eatenus cum omni tali adjectione aut quidquam lega-



legatario injungatur, aut fieri prohibeatur, modus generatim acceptus aut *affirmativus*, aut *negativus* est. Speciatim vero si talis sit, cui nec natura, nec ulla legis dispositio adversatur, *possibilis* dicitur, secus erit *impossibilis*; possibilis ille modus, si in mera ejus, a quo impleri debet, potestate consistat, *potestativus* appellatur; si vero illius implementum partim a legatario, partim a casu dependeat, *mixti* modi nomen obtinet. Impossibilis vero, cui ipsa natura impedimento est, *absolute*, cui legis dispositio adversatur, *secundum quid impossibilis* nuncupatur.

## §. 13.

Concessa illa cuique de suis, rebus ut dignum disponendi facultate huicque ultimæ voluntatis declarationi legis robore addito a) modum quidem omnem, qui dignus est, legatario inviolabile præceptum esse legis natura comprobatur, attamen uti imperantis decreto correspondenter non agens subinde excusatur, ita modo  
one-



oneratus eundem non præstans quandoque rei legatae amissionis poenam non incurrit, inquirendum igitur erit Imo quando & quomodo implendus sit modus, II<sup>do</sup> quæ contra legatarium juris competant remedia, & III<sup>o</sup> quando leges eundem a modi præstatione liberent?

a) Novell. XXII, C. 2.

§. 14.

Modus a testatore præscriptus, cum, uti dictum, legis fortiatu auctoritatem, nequaquam rite præstentur, nisi eadem, quæ ad legem adimplendam necessaria sunt, observentur. Quemadmodum igitur legislatoris præceptum nullatenus ex arte custodiretur, nisi persona subjecta rem illam, ad quam obligatur, tempore præfixo, & forma determinata præstaret, ita quoque ad legitime voluntati testatoris satisfaciendum, temporis, formæ, rei, & personæ rationem habendam esse, indubitatum est.

§. 15.



## §. 15.

Tempus præstationis diversum esse potest, aut enim defunctus certum præfixit, aut nullam illius mentionem fecit, si primum momentum designatum, si secundum præsumpta voluntas legatario adimplendi injungit necessitatem, dies enim determinata eatenus conditionis induit naturam, ut prouti hac non impleta nec rem legatam capit legatarius, ita illa neglecta rei acquisitæ amissionis pœnam incurrit; testator enim ita disponens magis suum, aut cujusdam alterius, quam legatarii favorem respexisse videtur, hinc quoque præsumendum, eundem rei relictae retentionem non aliter voluisse, nisi factum injunctum præscripto tempore perficiatur, sic si præclaro artifice testatoris memoriæ, aut alterius emolumenti causa opus quoddam intra tres menses ædificandum injungeretur, is magis ideo legato honoratus videtur, quia perpexit disponens ædificium illud ab hærede ipso, aut alio non magis perito intra tam angustum terminum vix extrui posse. Si nulla temporis facta mentio, nonnulli implementi

B

ter-



terminum onerati arbitrio committunt, aut rectæ interpretationis regulæ, legesque civiles eorum opinioni adversantur; testator enim modi præstationem pro fine habebat, proin non potuit non voluisse, ut sua voluntas quam maxime exitum sortia-  
 tur, *a)* quem vero eo certius habitum est, quo citius id, quod injunctum, præstitutum fuerit; scribit enim Julianus, quod in testamento mandatum est, absque omni mora perficiendum esse *b)*. Dubitant alii, an modus ante terminum præfixum, aut nullo præstationis die designata ante testatoris mortem jam impletus, legatarii tollat obligationem? Sed videndum erit, an modus reiterabilis sit, nec ne? si reiterabilis, denuo implendus erit, & illius casu potius, quam consilio facta præstatio nullatenus legatarium liberat, *c)* hinc cui quidquam relictum, ut unum servorum suorum extradat hæredi, obligationi suæ nequaquam satisfecisse videtur, si forte ante testatoris mortem unum jam hæredi donasset; secus vero est, si factum non reiterabile eidem injunctum fuisset; illius enim



enim reiteratio conditionis impossibilis essentiam habet, ea vero in ultimis dispositionibus pro non adjecta habetur, proin gravatus, ut Semproniam ducat, cum eadem ante testatoris mortem nuptiis jam jam celebratis sine omni onere capiet legatum.

a) L. 5. testam. quemad. apper.

b) L. 29. de cond. & dem.

c) L. 10. & 11. de cond. & dem.

### §. 16.

Uti statutum tempus modum implendi necessitatem legatario injungit, ita quoque is formam præscriptam accurate servare debet, hæc vero aut claris, aut talibus verbis, quæ non omni dubio carent, expressa est, utroque tamen casu, nisi testatorem aliud sensisse manifeste appareat, a vocum significatione recedi nequit; a) mens enim loquentis ex verbis prolatis innotescit, & in dubio præsumitur eundem iis, quæ ad voluntatem exprimendam magis proportionata erant, ulum esses. Si tamen ex substrata materia aliud, quam locutus est, defunctum sensisse elucescat,

B 2

tunc



tunc potius is, quem habebat finis, quam literæ scriptæ modi implendi norma erit, ultima enim voluntas lex est, quæ nullatenus custoditur, nisi quantum possibile disponentis intentio fervetur, quæ in dubio optime ex fine, quem habebat, cognoscitur, hinc se domus quædam hocce onere, ut legatarius inhabitet, legetur, ex solo quidem verborum conceptu adhuc dum ambiguum foret, an eandem locare possit, sed sine perspecto facile evanescet dubium, nam nullum certe aliud dispositionis hujus fundamentum erat, quam ne ædes illæ vendantur, sed apud honorati familiam permanerent, cum igitur huic intentioni, licet inquilini suscipiantur satisfiat, omnino, nisi clarius adhuc voluntatem suam exprellerit defunctus, aliis locari poterunt; confirmat id Justiniani decisio, statuit is: *Et siquidem habitationem quis reliquerit, ad humaniorem sententiam declinare nobis visum est, & dare legatario etiam locationis licentiam.* b) Lex hæc quanquam de sola habitatione legata loquatur, merito tamen & præsentem casum decedit, verba enim Imperatoris: *quid enim distat,*





distat, sive ipse legatarius maneat, sive alii cedat, ut mercedem accipiat, ita generalia sunt, ut ad præsentem casum merito extendantur, & præter ea ad motam quæstionem, an habitacionis usufructuarius aliis locare queat? respondit: *in tantum enim habitacionem valere volumus, ut non antecellat usufructum*, si igitur non voluit, ut inhabitatio, quia minus est, plus juris tribuat, quam usufructus, ejus quoque menti contrarium esset, si usufructuarius antecelleret dominum, quod tamen fieret, si ille ædes locare posset, & id proprietario vetitum foret. Aliud, quo magis ad legantis mentem, quam verba scripta respiciendum est, exemplum adfert Paulus, *c)* ait is, si pupillo vel furioso pecunia relicta, solum tunc conditionem impleri, si nummi tutori vel curatori exsolvantur.

a) L. 69. ff. de leg. 3.

b) L. 13. C. de usuf. & habit.

c) L. 13. ff. de cond. & dem.

§. 17.

Testatoris voluntas claris, & indubitatis verbis expressa quandoque

B 3

ob



ob falsam rei, aut loci demonstrationem effectum fortiri nequit, licet tali casu determinati modi præstatio evadat impossibilis, non tamen propterea rem relictam sine onere capiet legatarius, tunc enim juris regulæ conformiter id, quod verisimilius est, aut quod plerumque fieri solet, inspicere debet, a) certitudine proinde deficiente ad conjecturas confugiendum, illudque præstandum erit, quod testatoris intentioni magis conforme videtur; hinc hæres illius, qui sibi monumentum ad exemplum Publii Septimii Demetrii, quod in via Salaria esset, fieri jusserat, etsi nullum tale ibidem reperiretur, nequaquam tamen a modo implendo liberabantur; licet enim testator falsum monumentum, in cujus exemplum suum efformandum adjunxerit, id tamen non videtur fecisse, ut heredes ab omni obligatione immunes reddantur, sed præsumendum potius, quod epitaphii extruccionem intenderit, & solum in formæ allegatione casu fortuito erraverit; cum igitur ex mente disponentis facile colligi possit, eundem de monumento honoris, & memoriæ causa cogitasse, recte decide-

ba-



batur, ut tale secundum dignitatem & substantiam defuncti exstrueretur. *b)* Ad conjecturas quoque confugiendum erit, si non constet in quo loco ultima voluntas implenda sit; hinc Justinianus decidit: si hæreditas Deo relicta, aut ad alendos pauperes destinata sit, nullo assignato loco illius civitatis, Castelli, ægri, in quo defunctus morabatur, præcipuam habendam esse rationem, *c)* & Iavolenus sententiam Labeonis approbat, qui judicavit, ejus, qui nulla determinata urbe quidquam suæ memoriæ causa in foro fieri mandaverat, voluntatem in illius municipii foro, in quo domicilium habuerat, implendam esse. *d)*

*a)* L. 114. ff. de reg. Jur.

*b)* L. 27. ff. de cond. & dem.

*c)* L. ult. C. & vid. etiam §. 1. & 2. ibid: de SS. Ecclsi.

*d)* L. 39. §. 1. ff. de cond. & dem.

### §. 18.

Contingit quandoque clara perspecta testatoris voluntate modum

B 4 ab



ab eo præscriptum ob quandam forte subsecutam mutationem, aut alias occurrentes circumstantias impleri non posse; talis mutationis exemplum Modestinus refert: quidam nempe civitati reditus legaverat, ut ex iis quotannis in eadem spectaculum celebretur, quod dein ibi haberi non amplius licebat, dubitant in tali casu interpretes, an hoc legatum sine omni onere ad legatarium transeat, aut si ab initio modus is jam vetus fuerit, tota res relicta apud heredes permaneat? Respondet Jurisconsultus iniquum esse, hanc quantitatem lucro heredem cedere, igitur adhibitis heredibus, & primoribus civitatis dispiciendum esse, in quam rem, ut memoria testatoris alio & licito genere celebretur, converti debeat fideicommissum. a) Hæc Jurisconsulti decisio omnino ex rectæ interpretationis regulis deducta est, nam defuncti modum adjungendo præcipuum motivum erat, ut memoria sua quotannis celebretur, factum illud in testamento præscriptum tanquam medium finem suum obtinendi proposuit, si igitur medium illud adhibe-



hiberi nequeat, non est præsumendum, quod finem ipsum, qui pluribus modis obtineri potest, non voluerit testator.

a) L. 16. ff. de usu & usufr.

§. 19.

Indubitatum quidem est, ut modus rite impleatur, rem legatam, aut factum a testatore injunctum tempore, loco, formaque præscripta præstandam esse; si tamen plurium rerum aut factorum meminerit testator, non raro ambiguum fit, an quodlibet punctum legatario implendi injungat necessitatem? Nens tamen, & verborum conceptus tunc quoque sufficiens norma erit; disponentis enim voluntas aut conjuncta, aut disjuncta oratione declarata est, primo casu omnia capita implenda, secundo unumquodque præstare sufficit. a) Plura enim conjungendo eorum quodlibet ut sibi propositum finem legans intendebat, voluit igitur, ut uno neglecto rei relictae amissionis pœnam incurrat oneratus, hinc cui injunctum, ut hospita-

B 5                    tale,



tale, & epitaphium exstruat, illud ædificando, ab hoc perficiendo non liberatur, secus est, si disjuncta usus fuerit oratione, quippe quo casu uno impleto legatarius jam intentioni testatoris, & suæ obligationi satisfecit: plura enim puncta disjunctive ponendo disponens tam suum, quam etiam legatarii favorem respexisse videtur; sibi enim eatenus prospexisse præsumitur, quod si forte unius modi præstatio casu quodam fortuito deveniat impossibilis, saltem alterius effici possit, consuluit quoque legatario: non raro enim contingit, quod eidem rei traditio, aut facti unius quam alterius impletio facilius sit; sic si is, ut Titio domum aut emat, aut ædificet, gravetur, disponentis finis alius non est, quam ut Titius ædes acquirat, scopum hunc, licet forte ob defectum venditorum emptio fiat impossibilis, tamen obtinebit testator, dum legatarius tales ædificat, si utrumque possibile, unum tamen vel alterum oratorato commodius esse potest.

a) §. II. Instit. de hæred. instit. L. 5. ff. de



de cond. instit. L. 78. §. 1. ff. de  
cond. & dem.

§. 20.

Uti quandoque unus pluribus gravatur, ita non raro conjunctis legatariis idem modus adscribitur. Si unus solum oneratus sit, is ipse per se, aut saltem jussu tamen, vel mandato suo per alium obligationi satisfacere debet, & id, quod interest præstando nullatenus liberabitur, modus enim aut testatoris aut tertii favorem respicit, si primum personalem industriam defunctum elegisse præsumitur; hinc si quis opus facere jussus paratus sit reipublicæ, ut ipsa faciat, cum testator per ipsum id fieri voluerit, non audiendum esse jam Divus Marcus rescripsit. a) Si secundum, tunc rem sibi relictam acceptans illius, in cujus favorem modus injunctus, debitor fit, cum igitur invito creditori in solutum dari nequeat, manifestum est, gravatum præstando id, quod interest, se nullatenus liberare. Si modus pluribus adscribatur, id dupliciter fieri potest:  
aut



aut enim factum dividuum aut individuum adjungitur, si primum, quisque pro sua parte illud implere posse manifesti juris est, hinc si res quædam duobus relicta, ut forte hæredicentum dent, si alter ex his quinquaginta solverit, partem legati consequetur, & pars ejus, qui non dederit, alteri cum suo onere accrescit, *b)* Si factum sit individuum, & unus id perficere sit paratus, non vero alter, merito dubitatur, an neuter rem retineat? Sed cum modus statim rei tribuat dominium, *c)* cujus semel adepti proprietatis est, ut illius retentio facilius, quam acquisitio sit, *d)* & cum præterea rei sub modo relictae privatio non nisi sprete voluntatis testatoris poena sit, cujus essentia repugnat, ut ea innocentes afficiantur, hinc æquitati, mentique legislatorum convenientissimum videtur, quod si primum factum illud ab uno collegatariorum præstari possit, & is præstet, eundem rem relictam non amplius restituere debere, si igitur ut monumentum exstruant, duobus junctum, & unus testatoris voluntatem negligat, alter totum opus perficere po-





poterit; hinc Divus Marcus & Lucius Verus Proculæ, cujus cohæres modo præscripto parere volebat rescripsit: si eundem tempore præfixo non impleat, ut sola Procula factum præstet. e) Si vero II<sup>do</sup> modus talis sit, ut uno collegatariorum deficiente ab altero nil effici queat, talis v. g. esset, ut ab his statua, quæ ab uno moveri nequit, ad certum locum deferatur, tunc ei, qui ad satisfaciendum testatoris voluntati paratus est, alterius non nocet negligentia, disponens enim eundem, quem oneravit legato quoque honorare volebat, & eo ipso cum v. g. translationem illius statuæ non ut conditionem, sed ut modum adjunxerit, videtur quoque non intendisse, ut legato innocens privetur; præstatio igitur cum hocce casu impossibilis fiat, rectæ rationi conveniens est, ut legatarius a modi impletione liberetur; nec obstat Juliani sententia, qua statuit: si duo servi rationibus redditus liberi esse iussi fuerint, & actus eorum communiter gestus ita immixtus fuerit, ut separari non possit, necessario alter cessando alterius libe-



bertatem impedire, nec conditionem in alterius persona impletam videri, nisi id, quod computatione rationum habita reliquum fuerit, aut uterque, aut alter totum solverit; f) diversus enim hic casus est, nam libertatem testator ut præmium fideliter gesti negotii iis relinquebat, antequam igitur redditæ sint rationes, non apparet, an servi hi libertate digni sint, hinc is, qui occasione alterius negligentiae in servitute permanet, non pœnam, sed infortunium sentit, huic vero, qui rem, cuius dominium jam acquisivit, iterum amitteret, pœna foret.

a) L. 11. §. fin. de leg. 3.

b) L. 54. §. 1. & L. 112. §. 2. ff. de cond. & dem.

c) L. 80. ff. de leg. 2.

d) Dvran de cond. & mod. impos. P. 3. C. 1. n. 6.

e) L. 11. §. 23. & 24. de leg. 3.

f) L. 13. §. 2. de stat. lib.

### §. 21.

Leges illæ determinato tempore formaque præscripta modum implendi necessitatem injungentes non raro effectū



fectu suo destituerentur, nisi legislatorum providentia heredi, aut eis, quorum interest de juris remediis prospexisset. Horum autem duo introducta sunt, primum modi impletionem securam reddit, alterum testatoris voluntatem spernentem re accepta iterum privat.

## §. 22.

Remedium, quod introductum, ut modi implementum securum reddatur, est cautio illa a legatario præstanda. Hæc in favorem testatorum illorumque, quorum utilitatem modus respicit, inventa est, nam cum legati sub modo relicti natura sit, ut illud statim peti possit, a) factum vero injunctum primo post traditionem impleri debeat, hinc non exiguum, ne forte re accepta testatoris voluntas negligatur, & ii, in quorum utilitatem modus adscriptus, illius impletionem frustra expectent, subversatur periculum, huic igitur malo imminente ut obviam iretur, statutum fuit, quod ultimæ voluntatis executores rem non prius extradere teneantur, donec præter



ter obligationem illam, qua legatarius rem sibi relictam acceptando alioquin tam naturaliter, quam civiliter obligatus est, adhuc sufficientem præstet cautionem. *b)*

*a)* L. 33. & 80. de leg. 2.

*b)* L. 40. §. fin. L. 71. ff. de cond. & dem. L. 48. de fideicom. libert. L. 19. ff. de leg. 3. L. 4. §. 1. ff. de cond. inst.

§. 23.

Cautionem hanc Treutlerus Mutianam vocat, *a)* quantum tamen laudatus is author fallatur legibus inspectis, hujusque cautionis natura examinata non difficile elucescet; nec enim Trebatius, nec Labeo eandem Mutianam appellant, *b)* & hujus quoque fundamentum ab illo, quod Scævola permovit longe diversum est, is enim primo considerans in legatis sub conditione negativa de non faciendo relictis non nisi defuncto jam legatario conditionem impletam esse, eundem proin toto vitæ suæ tempore nullum prorsus ex hoc legato commodum sentire, secundo vero sibi re-  
præ-



præsentans menti testatoris prorsus alienum videri, ut is, de quo quavis ratione censendum est, quod eidem defunctus bene voluerit, commodo sibi relicti legati destitueretur, his igitur permotus iudicavit: licet honoratus rem sibi relictam statim sequeretur, id nullatenus testatoris menti disconveniens esse. Ne tamen forte huic consulendo testatoris intentionem circumveniendi occasio præbeatur, hinc cautionem introduxit, eique hunc tribuebat effectum, ut ea præstita conditio, quanquam nondum impleta per fictionem tamen juris pro impleta habeatur, & legatario pro consequendo legato actio concederetur, quæ alias eo vivo nata non fuisset. c) Nostra vero cautio nullatenus legatariorum, sed testatoris, hæredum aut eorum, quorum favorem pro scopo defunctus habebat, utilitatem respicit, eaque præstanda est, sive negativus, sive affirmativus sit modus, nec is cautione præstita, uti in Mutiana conditio, per fictionem juris pro impleto habetur.

C

a)



- a) Vid. Bachovius Vol. II. disput. 13.  
Thef. 6. Lit. g.  
b) L. 40. §. ult. ff. de cond. & dem.  
c) L. 4. §. 1. & L. 7. pr. ff. de cond.  
& dem. Nov. 22. C. 43.

## §. 24.

Quoniam legatarius cautione hac de modo adimplendo, aut rem ipsam testatoris voluntate neglecta restituendo, a) & hæres, cui sub tali onere prælegatum relictum cohæredi caveat, b) ea tamen nullatenus legati naturam mutat, nec illud conditionale reddit, nec actionem ipsam, sed solum legati exactionem impedit, c) nam cautio hæc non ex testamento, sed extrinsecus oritur, & ex sola æquitate in troducta est, nulla igitur sufficiens assignari posset ratio, cur naturam legati mutaret, aut id, quod pure relictum, conditionale efficeret, nec ipsam actionem impedit; natura enim hujus legati sufficienter indicat, quod purum sit, proin statim competit actio, & cautio hæc introducta non plus operari potest, quam quod executori testamenti tamdiu exceptio doli generalis competat, donec legatarius cau-




cautionem præstitit, hocque ob unicum hanc rationem, quia leges præsumunt legatum sub modo relictum hac quasi conditione, si legatarius fatisdederit, collatum esse, is vero dolo ageret, qui rem peteret, antequam ex sua parte perficeret id, quod ipse facere, vel dare tenetur.

- a) L. 19. ff. de Leg. 3. L. 17. ff. de usu & usufr. leg.
- b) L. 4. §. 1. ff. de cond. inst.
- c) L. 40. §. ult. L. 80. & 99. ff. de cond. & dem.

§. 25.

Alterum remedium est jus illud hæredi competens a legatario modo non impleto rem legatam revocandi; ea enim jam tacita voluntate pro hoc casu a testatore adempta censetur, a) nam ideo præcipue, ut ultima voluntas impleatur, legatarius honoratus videtur, is igitur si hocce defuncti mandatum temere negligat, nullum rem relictam retinendi titulum habet, tale enim legatum non dissimile est donationi sub modo, vel ob certam quandam causam factæ, hæc igitur si testante Imperatore Valeriano ob causam non impletam re-

vc-



vocetur, b) quid obstabit, quo minus res a defuncto relicta æque vindicari possit? Competet igitur hæredi, aut testamenti executori contra talem legatarium actio ad revocationem tendens, ut rem legatam una cum fructibus, & accessionibus restituat. c)

a) Carpzov. P. 3. C. 13. def. 26.

b) L. 1. C. de don. quæ sub mod.

c) L. 21. §. 3. de ann. leg. L. 17. ff. de usu & usufr. leg.

### §. 26.

Actionem quidem hanc revocatoriam præfati legati naturæ conformem, legibusque civilibus approbatam esse jam indubitatum est, nonnunquam tamen ambigitur, quando testatoris voluntas ita neglecta fit, ut huic remedio locus detur? ob difficultatem igitur legatarium de sprete testatoris voluntate convincendi, is futuri implementi prætextu rem sibi relictam ad mortem usque retinere possit, eluderetur hocce in casu defuncti voluntas, hæredi, aut iis, in quorum favorem modus adscriptus præjudicaretur. Communibus tamen juris principiis ad præsen-





sentem controversiam rite applicatis  
omne evanescet dubium, iis enim  
conformiter cum culpa culposo, &  
mora moroso noceat, talis quoque  
legatarius quam primum in mora  
constituetur, re sibi relicta jure pri-  
vatur.

## §. 27.

Moram vero tunc primum com-  
mittit legatarius, dum interpellatione  
facta modum non implet; nam juris  
interpretes fere unanimiter consen-  
tiunt moram injustam debitoris tar-  
dius solventis, & creditoris tardius  
recipientis dilationem esse; a) huic  
autem acceptationi omnino confor-  
me est, quod illa solum committat-  
ur, dum modi impletio injuste negli-  
gitur, requiritur proin, ut oneratus  
jura alterius perfecte quaesita violet.  
Cum vero ad hoc, ut quis contra  
officia debita peccet, non solum se  
se obstrictum esse sufficiat cognosce-  
re, sed etiam praeterea requiratur, ut  
tempus obligationem suam implendi  
jam jam advenisse perspiciat, & cum  
dein actus is, per quem de hoc cer-  
tus sit, interpellatio in jure nuncu-  
petur; apparet facile ante interpella-  
tio-



tionem nullatenus moram committi. *b)*

*a)* Ekold ad ff. l. 22. tit. 1. §. 5.

*b)* L. 32. ff. de usuris & fruct.

§. 28.

Interpellatio vero cum sit certioratio quædam, seu admonitio de debito solvendo, duplici modo fit: aut enim jam dies ipsa pro homine interpellat, aut admonitio hæc a creditore instituitur, primum in legatis contingit, si modum implendi terminus ab ipso testatore sit assignatus, secundum, si is nullam temporis mentionem fecit, primo casu legantis voluntas sufficiens jam admonitio est, & modo oneratus, si non impleat, legato privatur; secundo vero casu tandiu actio revocatoria denegatur, donec oneratum testatoris voluntati satisfacere nolle indubitate constet. Ut vero hæc certitudo obtineatur, judiciali interpellatione opus est, *a)* hæcque cautione interposita actione ex stipulatu, & nulla tali præstita actione ex testamento ab hærede, testamenti executore, & jure Cod. *b)* ab omni, cujus interest, ut legatari-

us



us aut' impedimentum doceat, aut modum impleat, c) instituitur. Hoc facto judiciali decreto tempus determinabitur, & id, si legatarius negligat, morosus est, hæcque revocatoria actio locum habebit.

- a) L. 32. ff. de usur. & fruct.  
b) L. 2. C. de his, quæ sub mod.  
c) L. 21. §. 3. ff. de ann. leg. L. 17.  
§. 2. & L. 44. ff. de manumiss. testam.

§. 29.

Docet quotidiana experientia, quandoque hæc ultimæ voluntatis servandæ gratia introducta remedia cessare, superest igitur inquirere, quando legatarius cavere non teneatur, & quando licet defuncti voluntatem non impleat, nullatenus tamen amissionis pœnam incurrat?

§. 30.

Cum ipsa ratio dicat introductæ hujus cautionis primarium fundamentum esse, ut ultimæ voluntatis impletio secura reddatur, hinc indubitatum est, si testator huic præcipue in suum favorem introducto beneficio renunciet, aut lex ipsa cavendi obligationem

C 4                      nem



nem remittat, quod testamenti executores rem legatam sine cautione extradere teneantur.

Remittit autem legans aut expresse, aut tacite: primum fit, si id claris verbis manifestet, & hoc omnino legibus approbatum esse Martianus & Papinianus testantur. *a)* Secundum contingit, dum sufficientia non desiderata cautionis adfunt argumenta, sic eandem, nisi aliud a defuncto dispositum, a ministro, cujus singularem fidem & industriam legans secutus erat, exigere Divus Pius vetuit, hancque decisionem æquissimam esse testatur Julianus, & Scævola illam solum eatenus limitat, si forte vivente testatore, eoque ignorante legatorum distributor pauper deveniat. *b)* Talis remissionis quoque indicium foret, si modi implementum in solius legatarii favorem injunctum esse appareat, hinc dum Titio, ut fundum sibi emat, centum legata, cautioni locum esse Jurisconsultus negat, & solum eandem tunc desiderat, si manifeste appareat, testatorem cautionem exigendi specialem rationem habuisse, aut intendisse, ut modus adjectus tertio quoque proficit. *c)* Casus similis esset, si forte adjiciendo




jiciendo modum, ut domum emat, impedire velit, ne pecunia legata in malos usus impendatur, aut præcipiendo, ut domum illam legatarius ipse inhabitet, efficere conetur, ut eadem penes honoratam familiam remaneat. Lex legatarios liberat, si iis alioquin abundantem fidem adhibet, aut si modi implementum potius vetat, quam præcipit, ob illam causam universitates non fatiscant, ob hanc is, cui sub turpi, vel impossibili modo quidquam relictum non cavet.

- a) L. 12. ff. ut legat. conserv. caus. cav.  
L. 77. §. 3. ff. de cond. & dem.
- b) L. 7. ff. si cui plus quam per leg. Falc.  
L. 26. §. 1. in f. ff. quand. dies leg.  
L. 21. §. 4. ff. de ann. leg. vid. etiam  
Gothofred in not. ad. cit. leg.
- c) L. 71. pr. & §. 1. ff. de cond. & dem.

### §. 31.

Uti cautio illa non raro remittitur, ita etiam æquitatis studiosissimi legislatores modo licet non impleto quandoque rem legatam retinendi jus tribuerunt, & testamenti executoribus revocatoriam actionem instituendi facultatem prorsus denegarunt, hocque præcipue si eventu legatario non imputa-



putabili, aut ipsa natura, vel legis  
 iussu modi impletio eveniat impossibi-  
 lis, aut si factum illud potius consilii,  
 quam modi naturam habere ratio do-  
 ceat, hinc legatario, licet servus,  
 quem manumittere debuisset mortuus  
 sit, aut eundem servi dominus ven-  
 dere nollet, *a)* res legata non eripi-  
 tur, nec eandem restituere obligatur,  
 si per eum, in cuius favorem modus  
 implendus, quo minus is præstari  
 queat, efficiatur, *b)* mors enim servi,  
 venditionis denegatio, propria illius,  
 cuius utilitatem modus respicit inter-  
 veniens culpa, fata sunt legatario non  
 imputabilia. Natura impossibilem mo-  
 dum adscribens, eundem incogitanter  
 apposuisse præsumitur, & modus si  
 quidquam contra legem, aut prætoris  
 edictum contineat, talia proin injun-  
 gat, quæ pietatem, existimationem,  
 aut verecundiam lædunt in ultimarum  
 voluntatum favorem pro non scriptis  
 omnino habentur, *c)* & legatarius  
 testatoris voluntatem negligens magis  
 laudandus quam accusandus erit. *d)*

Si dein modus solius legatarii com-  
 modum respiciat, v. g. ut sibi fundum  
 emat, ut peregrinationem instituere  
 possit &c. non privabitur, licet pecu-  
 niam



niam relictam in alios usus impendat, hæc enim injuncta, nisi forte interpretationis regulæ aliud svadeant §. 30. pro nudo consilio habentur, & hinc nulla ratione legatarium obligant. e)

- a) L. 54. §. 2. de leg. I. L. 92. §. I. ff. eod.
- b) L. 24. ff. de cond. & dem. L. I. C. de his, quæ sub mod.
- c) L. 112. §. 3. ff. de leg. I. L. 14. 15. ff. de cond. inst.
- d) L. 27. ff. de cond. inst. L. 7. ff. in fine de ann. leg.
- e) L. 114. §. 14. de leg. I.



Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page.




Faint text visible at the bottom edge of the page, possibly from an adjacent page or a label.









(X2281931)

TA 70L

ULB Halle


3

006 355 056



v>78





B.I.G.

Farbkarte #13

18.

1778, 1

JOANNIS KOPPE,  
J. U. D.

DISSERTATIO  
DE  
LEGATISSUB MODO  
RELICTIS.

12.

P. 281



VIENNAE,  
PIS IOAN. THOM. NOBILIS DE TRATTNERN,  
SAC. CAES. AVL. REG. TYPOGR. ET BIBLIOP.

1778.

